Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1199
Quelle:
Copyright:

(ur) *excusacio auctoris in secunda reprehensio detractoris* &c. et fine: *que sunt de fine mundi in quarto libro uia duce id est christo.* En Scriptum, quod solertissimos O. P. Bibliothecarios fugit, qui quidem T. I. p. 548. *Lecturam Jacobi* nostri *Tomasinam super Sententias* excitant; verum non nisi in L. *primum Parisiis* extare ajunt. Neque illa nostra est, ut ex initio differenti liquet, nisi dicas *Jacobi* Praefationem e Codice nostro excidisse, quod non videtur. Obiit ille a. 1321. postquam in Provincialatu successisset *Hervaeo Natali*, quem in Codice praesenti successorem habet.

II. *fol.* 61. *Hic incipiunt concordancie dictorum fratris thome in summa et in aliis operibus.* Praeit laus D. *Thomae: Veritatis et sobrietatis verba eloquor. Verba sunt doctoris gencium s. pauli apostoli et habentur act. 26. et possunt accipi in persona venerabilis doctoris scilicet fratris thome* &c. Quod cum ostendisset, concludit: *Sed dicere potest aliquis, si talis est fratris thome doctrina, quomodo in multis a quibusdam collectis articulis continet repugnantia et videtur implicare contradictionem? Huic questioni qui voluerit satisfacere potest predictos articulos sicut infra ponuntur concordare.* Sequuntur igitur ordine Librorum *Articuli centum*, eorumque Conciliationes, quibus ad calcem additi sunt *Articuli 220. contra fidem catholicam.* Extat T. XVII. edit. *Rom.* inter Opuscula D. *Thomae* adscripta *n.* LXXII. unum *De Concordantiis, in quo concordat seipsum;* sed incipit: *Pertransibunt plurimi* &c. et ab Ord. Bibliothecariis T. I. p. 342. spurium judicatur. Norunt hi Viri T. *cit.* p. 595. e *Cod. Victorino* etiam nostrum; haerent tamen non minus me de ejus Autore, promittuntque se de eo inter *Anonymos Sec.* XIV. acturos, fidem vero non liberant.

III. *fol.* 79. ut e calce praeoccupo: *Fratris Eruei magistri ordinis predicatorum. et magistri in theologia Secundum Quodlibet.* Init: *Circa nostrum quodlibet querebatur. Vtrum sit aliquid commune deo et creaturis et postea querebantur quedam propria deo deinde quedam propria creature* &c. Succedit et *Quartum* Ejusdem *Quodlibet* hoc initio: *In nostra generali disputatione querebantur quedam pertinentia ad ens commune enti increato et enti creato* &c. E IV. *magnis Quodlibetis* haec sunt, quae fine VII. *Parvis* jam a. 1486. lucem viderunt *Venet. per Rayn. de Novimagio* f. et mihi adjacent. Utriusque Index in Codice praesto est ad calcem. De *Hervaeo Natali Britone* XIV. Ord. Praed. Magistro gen. qui a. 1318. decessit, agunt Bibliothecarii *citt.* T. I. p. 533.

IV. *fol.* 145. Dissertatio philosophica, cujus initium: *Cum in hijs que sepius occurrunt exercitatio ingenij sit necessaria, quarundam propositionum communium intellectum edisceré cupientes, quantum paupertas nostri ingenij valuit,*